

nus Noster Benedictus PP. XIV sub 15 Julii 1742 benigne in perpetuum indulsit ut Missae, quae juxta Constitutiones, et a Sacerdotibus ejusdem Ordinis in obitu cujuslibet Fratris Ordinis praedicti, vel alio die pro ejusdem anima, quae Deo in Charitate conjuncta ab hac luce migraverit ad quodcumque altare Ecclesiarum praedicti Ordinis tam erectarum, quam erigendarum celebrabuntur, animae, pro qua celebratae fuerint perinde suffragentur, ac si, ad altare privilegiatum celebratae fuissent.

L. CARD. PICUS PRAEF.

A. M. Erba Prot. Apost. Secret.

CXIX.

ORDINIS MINORUM CAPPUCCINORUM

Nuper Sanctissimus Dominus Noster Benedictus PP. XIV sub die 15 Julii 1742 in perpetuum concessit, ut Missae quae juxta Constitutiones Ordinis Minorum S. Francisci Cappuccinorum nuncupatum ab ejusdem Sacerdotibus in obitu cujuslibet Fratris hujusmodi ab hac luce migrantis, vel alio die ad quodcumque altare Ecclesiarum ordinis ejusmodi tam erectarum, quam in posterum erigendarum celebrabuntur; suffragentur ac si ad altare privilegiatum celebratae fuissent. Cum vero sicut modernus Procurator Generalis Ordinis praefati humillime exponebat, omnes et singuli sacerdotes tres Missas pro anima cujuscumque summi Pontificis, et Cardinalis Protectoris, ac Imperatoris, atque Regis, nec non illorum, qui Superiores Majores ejusdem ordinis fuerunt, qui e vivis decesserint celebrare soleant, ac privilegium pro illis ad quodlibet altare Ecclesiarum Ordinis hujusmodi ad septennium semel vel pluries obtentum fuerit, ideo praedicto Procuratore Generali supplicante, Eadem Sanctitas Sua sub die 19 Septembris ejusdem anni Indultum praefatum pro tribus enunciatis Missis ad quodcumque Altare Ecclesiarum praefatarum in perpetuum benigne extendit. Non obstantibus in contrarium factibus quibuscumque. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione.

L. CARD. PICUS PRAEF.

A. M. Erba Prot. Apost. Secret.

CXX.

URBIS.

Nuper SS. D. N. Benedictus PP. XIV privilegium quotidianum absque expressione numeri Missarum pro omnibus Fidelibus defunctis, et cum extensione ad quoslibet Sacerdotes Altari S. Birgittae in omnibus et Singulis Ecclesiis ejusdem Instituti vel Ordinis sub die 23 Decembris 1741 in perpetuum concessit. Cum vero Ecclesia ejusdem S. Birgittae apud quam Fratres ipsiusmet Ordinis in Urbe habitant, ac in ea Missas quotidie celebrant, et coetera divina officia libere persolvunt, quamvis a fundatione, seu pia erectione propria eorum fuisset Fratrum et Ordinis, nunc autem ob aliquas temporum varietates nonnullis cesserit administratoribus, a quibus eam ad usum praedicti fratres gratis retineant, in dubium revocatum fuit *num privilegium praefatum altari, et in Ecclesia ejusmodi S. Birgittae de Urbe valeat?* Ideo ad humillimas preces Fratris Pauli Miller Procuratoris Generalis Ordinis hujusmodi Eadem Sanctitas Sua, eo quia ejusmodi privilegia non intuitu Ecclesiarum, sed Ordinis, ejusdemque Fundatorum concedenda, et in Ecclesia praefata vere Missae et reliqua divina officia quotidie persolvantur, ac in ea Altare ejusdem S. Birgittae existat, declaravit idem privilegium suffragari ac Missas hactenus celebratas ac in posterum eidem Altari celebrandas, praedicto gaudere privilegio et quatenus opus sit praevia sanatione Missarum eidem Altari hactenus celebratarum defectus, si quis fuerit, de novo benigne concessit.

Datum Romae 28 Novembris 1742.

L. CARD. PICUS PRAEF.

A. M. Erba Prot. Apost. Secret.

CXXI.

TURRITAN.

Nuper Sa. Me. Clemens PP. XII per suum Breve incipiens « *Exponi Nobis* » sub die 16 Januarii 1731 editum Fratribus Ministro Generali Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia



nuncupat. et subjectis, private, ut ajunt, ad quoslibet alios sacerdotes facultatem erigendi in Locis inibi expressis pia loca Viae Crucis, seu Calvarii nuncupatis cum adeptione Indulgentiarum ad instar Stationum Montis Calvarii concessit. Cum vero Fratres Ordinis Minorum ejusdem S. Francisci Cappuccinorum nuncupat. provinciae Turrilanae in Sardinia in pacifica sicut exponebant possessione etiam per centenariam completam reperiantur habendi in suis Conventibus ejusmodi Pia Loca, quae Christifideles hactenus frequentaverint, Indulgentias ejusmodi loca rite erecta peragentibus concessas acquirere credentes: precibus Sanctissimo Domino Nostro Benedicto PP. XIV humillime porrectis supplicabant primo declarari: *peragentes pia loca Viae Crucis usque de anno 1616 erecta apud eosdem Fratres Cappuccinos Conventus Montis Di-Valverde nuncupat. extra mœnia civitatis Saceris in Sardinia easdem Indulgentias consequi, quas peragendo ejusmodi Viam Crucis a Fratribus praefato Ministro Generali Minorum de Observantia subjectis erectam consequerentur et quatenus opus sit ex integro concedi: Secundo: ut hujusmodi declaratio seu concessio extendatur etiam ad coetera hujusmodi pia Loca Viae Crucis a dictis Fratribus Cappuccinorum ubilibet jam erecta: Tertio: ut eadem facultas ejusmodi Loca pia Viae Crucis erigendi cum Indulgentiis jam concessis etiam Fratribus Cappuccinis communicetur eo modo quo ad Fratres Ordinis Minorum de Observantia Reformatorum Recessus et de Ambrosiana nuncupat. sub die 10 Novembris 1729 per rescriptum S. M. Benedicti PP. XIII extensa fuit. Eadem Sanctitas Sua auditis Ordinario Turritano et Procuratore Generali praefati Ordinis de Observantia, ac referente sub die 28 Novembris 1742 me infrascripto Sac. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae Secretario, benigne respondit. Ad Primum « Pro Concessione » Ad Secundum « Recurrant in casu particulari » Ad Tertium « Negative »*

L. CARD. PICUS PRAEF.

A. M. Erba Prot. Apost. Secret.

CXXII.

NOLANA

1.<sup>m</sup> *An Moniales Ordinis Canoniorum Regularium S. Augustini sub cura et gubernio Fratrum Minorum de Observantia S. Francisci Collegii nuncupat. gaudeant Indulgentiis Tertii Ordinis S. Francisci in casu? et quatenus negative.*

2.<sup>m</sup> *An sint concedendae?*

Sac. Congregatio diei 1 Aprilis 1743 respondit

Ad 1.<sup>m</sup> « Negative »

Ad 2.<sup>m</sup> « Gaudeant Ordini concessis »

CXXIII.

*An Indulgentia Quinquaginta dierum a Sa. Me. Pio V recitantibus Officium B. M. Virginis et Defunctorum concessa, consequatur a Sodalitiis, a quibus dumtaxat recitantur Matutinum et Laudes in casu? etc.*

Sac. Congregatio diei 23 Martii 1744 respondit « Negative »

CXXIV.

PLACENTINA

Cum Sanctissimus Dominus Noster Benedictus PP. XIV die 10 Maii 1743 per suum Breve incipien. « *Commissae nobis* » omnibus Christifidelibus confessis et S. Communionem refectis, qui aliquam ex Ecclesiis Ordinis Eremitarum S. Augustini ubicumque erectis vel erigendis in Festis Nativitatis Dominicae, Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, et Annunciationis, ac Assumptionis Beatissimae Virginis Mariae, nec non die, qua Festum ejusdem B. Virginis de Consolatione nuncupat, in dictis Ecclesiis celebratur, devote visitaverint, ibique, ut fusius in eo Brevi continetur, oraverint; Indulgentiam Plenariam concesserint, ac insuper indulserint, ut singuli Priores pro tempore existentes Conventuum, aut alii Fratres ejusdem Ordinis ab ipsis Prioribus deputandi in praedictis Festivitatibus et die Christifideles ad easdem Ecclesias accedentes, qui praemissa peregerint, nomine



Sanctitatis Suae benedicere possent; Moniales dicti Ordinis Loci *Complani* Placentinae Dioecesis Ordinario tamen subjectae dubitantes, an et ipsae ejusmodi Indulgentiis et facultate respective gaudere tuto valeant, supplicarunt Sanctissimo ut easdem Indulgentias etiam favore proprii Monasterii declarare, vel concedere, dictamque facultatem ad suum pro tempore existentem Confessarium communicare dignaretur. Hujusmodi autem precibus ab eadem Sanctitate Sua ad Sac. Congregationem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam remissis, formatisque his desuper dubiis, scilicet Primo « *An Monasterium Complanense gaudeat privilegiis a Sanctissimo Domino Nostro universo Augustiniano Ordini concessis, in casu etc.?* et quatenus Affirmative quoad Indulgentiam Plenariam, et Negative quoad Benedictionem »: Secundo « *An et quomodo providendum sit in casu etc.?* Eadem Sac. Congregatio die 18 Maii 1744 respondit ad Primum « supplicandum esse Sanctissimo pro Indulgentia Plenaria in Festis enunciatis pro Monialibus tantum. » Quo vero ad Benedictionem « Negative ». Secundum « Provisum in primo ». De quibus singulis facta per me infrascriptum Secretarium die 30 ejusdem Sanctissimo Domino relatione, Sanctitas Sua votum Sac. Congregationis benigne approbavit, ipsamque concessionem et declarationem ad reliqua hujusmodi Monialium Monasteria extendit.

C. CARD. DE HIERONYMIS PRAEF.  
A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

CXXV.

VICEN.

Proposito Sac. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae dubio « *An morte Episcopi Vicen. expiraverit Breve Indulgentiarum ad septennium pro Missionibus expeditum attempta narratione in eo expressa, scilicet « cum modernus Episcopus mittere intendat Presbyteros ad Missiones etc. »*. Eadem Sac. Congregatio die 18 Maii 1744 respondit « Negative ». De quibus facta sub die 30 ejusdem mensis per me infrascriptum

Secretarium Sanctissimo Domino relatione, Sanctitas Sua votum Sac. Congregationis benigne approbavit.

C. CARD. DE HIERONYMIS PRAEF.  
A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

CXXVI.

MONIALIUM ORDINARIO LOCORUM SUBJECTARUM

Sac. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita sub die 18 Maii 1744 declaravit, Sanctimoniales quascumque Ordinariis locorum subjectas, gaudere Indulgentiis suorum respective Ordinum, aut Congregationum, quarum Ritum in Officio recitando sequuntur, ac simul Institutum profitentur. De quibus facta per me infrascriptum Secretarium die 30 ejusdem mensis Sanctissimo Domino relatione, Sanctitas Sua votum Sac. Congregationis benigne approbavit.

C. CARD. DE HIERONYMIS PRAEF.  
A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

CXXVII.

URBIS ET ORBIS

Sanctissimus Dominus Noster Benedictus PP. XIV die 30 Maii 1744 benigne declaravit Imaginem Crucifixi Domini Nostri Jesu Christi, quae Parochis pro impertienda benedictione cum Indulgentia Plenaria in articulo Mortis decernitur, etiam ipsimet Parocho, cui concessa est, in articulo Mortis constituto, qui singula in decreto eidem expedito injuncta peregerit, pari modo suffragari, sive per se sive per alium ejusmodi Imago eidem porrigatur.

A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

CXXVIII.

1.<sup>m</sup> *An Missae celebratae in Altari Sodalitii privilegiato ante publicationem Brevis ipsius privilegii, gaudeant privilegio in casu etc.?* et quatenus negative.

2.<sup>m</sup> *An sit locus illarum sanationi?*



Sacra Congregatio diei 1 Octobris 1744 respondit

Ad 1.<sup>m</sup> Affirmative, sed non licete.

Ad 2.<sup>m</sup> Provisum in primo.

CXXIX.

SALISBURGEN.

Cum vigore Indulti Altaris privilegiati per respectivos locorum Ordinarios semel tantum designandi in omnibus et singulis Ecclesiis totius Ordinis FF. Eremitarum S. Augustini pro Feriis juxta numerum Missarum in decreto diei 13 Septembris 1726 expressum eligendis a Sa. Me. Benedicto XIII generaliter concessi, Ecclesia S. Annae Conventus FF. Excalceatorum ejusdem Ordinis in Styria Dioecesis Salisburgensis, in qua quindecim Missae quotidie celebrabantur, nempe Altare S. Annae pro duabus Feriis, et Altare S. Cajetani pro alia Feria ab Ordinario designata obtinuerit, ac proinde dubium super hujusmodi duplicis Altaris designatione, nec non Missarum immutatione ortum fuerit, formatis quaesitis, scilicet Primo « *An designatio secundi Altaris privilegiati substineatur?* » Secundo « *An et quomodo providendum sit in casu etc.?* » Tertio « *An diminuto numero Missarum pro privilegio trium in hebdomada Feriarum, Altare designatum privilegiatum remaneat pro duabus Feriis cum numero decem Missarum absque nova designatione in casu etc.?* » Sac. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, habita die 1 Octobris 1744 respondit: Ad primum « Negative ». Ad secundum « Supplicandum Sanctissimo pro facultate designandi primum Altare etiam pro Feria tertia ». Ad tertium « Affirmative ». De quibus omnibus et singulis, facta per me infrascriptum Secretarium sub die 3 ejusdem mensis Sanctissimo Domino relatione, Sanctitas Sua votum Sac. Congregationis benigne approbavit.

C. CARD. DE HIERONYMIS PRAEF.

A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

CXXX.

ORDINIS S. BENEDICTI

Cum Sa. Me. Clemens XII per suum Breve diei 6 Martii 1739 Privilegium quotidianum pro liberandis animabus Christifidelium a Purgatorii poenis Altare S. Benedicti in omnibus et singulis Ecclesiis tam Monachorum Ordinis ejusdem S. Benedicti Congregationis Cassinensis, quam Sanctimonialium sub eorum cura et gubernio degentium, in perpetuum concesserit, idemque ad plures inde Ecclesias ejusdem Instituti tam Monachorum ultra montes existen., cum Monialium jurisdictioni Ordinariorum immediate subjectorum extensum fuerit, nonnullae hujusmodi Ecclesiae de subsistentia dicti privilegii dubitarunt, eo quia Altare non soli S. Benedicto, sed et alii seu aliis Sanctis simul dicatum, aut diversimode etiam nuncupatum habeant. Itaque ad instantiam Monialium praedicti Ordinis Monasterii S. Caroli Gandini Bergomen. Dioecesis proposito dubio, scilicet « *An Altare Sanctorum Benedicti et Caroli in Ecclesia ipsarum Monialium Gandini gaudeat privilegio quotidiano a S. Sede concesso?* » Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita die 1 Octobris 1744 respondit « Gaudere ». De quibus omnibus et singulis facta per me infrascriptum Secretarium die 3 ejusdem mensis Sanctissimo Domino relatione, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne approbavit, idemque universis Ecclesiis pro simili casu suffragari declaravit.

C. CARD. DE HIERONYMIS PRAEF.

A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

CXXXI.

CONSTANTIEN.

Sac. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita die 12 Decembris 1744 declaravit Ecclesiam Monachorum Ordinis Cisterciensis Monasterii *De Porta Coeli* nuncupat, in Termeback Constantiensis Dioecesis Provinciae Moguntinae gaudere in perpetuum privilegio quotidiano ad Altare vel Beatissimae



Virgini Mariae, vel S. Bernardo, vel utrique dicatum, pro anima cujuscumque Christifidelis ab hac luce in Domino migrantis, et Indulto ad omnia Altaria in cujuslibet Presbyteri vel Clerici, aut Laici Monasterii praefati obitu, aut alia die pro Missis, quae juxta eorum Constitutiones pro ipsorum anima celebrari solent, prout gaudent universae Ecclesiae Monachorum Ordinis Cisterciensis ex Brevibus die 5 Aprilis 1743 obtentis, dummodo idem Institutum profiteantur. De quibus facta per me infrascriptum Secretarium die 16 ejusdem mensis Sanctissimo Domino relatione, Sanctitas Sua votum Sac. Congregationis benigne approbavit.

C. CARD. DE HIERONYMIS PRAEF.

A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

CXXXII.

1.<sup>m</sup> *An celebratio quotidiana Missarum in Brevibus Altarium privilegiatorum apposita dietim debeat verificari, ut hujusmodi privilegia sustineantur? et quatenus Negative.*

2.<sup>m</sup> *Quanto tempore in anno tollerari possit omissio quotidianae celebrationis, ne privilegium amittatur?*

3.<sup>m</sup> *An dicto tempore, quo Missae praescriptae non celebrantur privilegium sit in suo robore, vel potius pro eo tempore suspensum remaneat?*

Sac. Congregatio diei 9 Februarii 1745 respondit « Serventur Resolutiones Sac. Congregationis Concilii in Mutinen. 10 Junii 1720, et in Senogallien. 19 Novembris 1732.

CXXXIII.

ORDINIS S. BIRGITTAE

Proposito dubio ad instantiam Procuratoris Generalis FF. Ordinis Sanctissimi Salvatoris, seu S. Birgittae in Sac. Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita « *An vi Decreti de non commodandis Coronis, Indulgentiae concessae Coronis S. Birgittae nuncupat., adhuc durent si dictae Coronae commodentur dumtaxat ad enumerandos calculos seu ad recita-*

*tionem Orationum?* » Eadem Sacra Congregatio die 9 Februarii 1745 respondendum esse censuit « Affirmative ». De quibus facta per me infrascriptum Secretarium die 3 ejusdem mensis Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas Sua votum Sac. Congregationis approbavit.

C. CARD. DE HIERONYMIS PRAEF.

A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

CXXXIV.

PROVINCIAE TURRITANAE

Cum a longissimo tempore Pium Sanctumque Exercitium Viae Crucis, ut vocant, obirent Fratres Minores Cappuccini nuncupat. Provinciae Turritanae suos pene Conventus, cumque promulgata subinde Constitutione Sa. Me. Clementis XII, cujus initium est « *Exponi nobis* » qua facultas erigendi Viam Crucis Ministro Generali Ordinis Minorum de Observantia S. Francisci, Fratribusque ab eo dependentibus tribuitur, isti Fratres Cappuccinos deturbare in possessione hujus exercitii coeperint ob id potissimum, quod Erectio ab ipsis facta non esset: Procurator Generalis Cappuccinorum ad removenda jurgia et dissensiones cum Christifidelium scandalo subortas, Sac. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae pro manutentione in possessione erectionis antedicti exercitii, et pro Indulgentiarum concessione humillimas preces porrexit. Quare Eadem Sac. Congregatio, audito Procuratore Generali FF. Minorum de Observantia, ac singulis rationum momentis hinc inde deductis, coeterisque de more videndis mature perpensis, ac formatis his desuper dubiis, nempe 1.<sup>m</sup> « *An Viae Crucis erectio a PP. Cappuccinis in Provincia Turritana ante promulgationem Constitutionis Sa. Me. Clementis XII sustineatur?* et quatenus Affirmative. » 2.<sup>m</sup> « *An illis sint concedendae Indulgentiae, quibus gaudent Viae Crucis erectae a Patribus Minorum Observantiae S. Francisci?* » Die 9 Februarii 1745 censuit rescribendum esse Ad 1.<sup>m</sup> « *Supplicandum Sanctissimo pro sanatione, quatenus opus sit, dictae Erectionis* ». Ad 2.<sup>m</sup> « *Provisum in primo* ».



De quibus facta per me infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino relatione die 13 ejusdem mensis, Sanctitas Sua votum Sac. Congregationis approbando benigne annuit.

C. CARD. DE HIERONYMIS PRAEF.

A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

CXXXV.

Editum jam fuit a Sac. Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita Decretum tenoris qui sequitur « Ne contra veterem et probatam in Ecclesia consuetudinem, Indulgentiarum numero nimis aucto, Ecclesiastica disciplina enervetur saepius in Brevibus apponi consuevit Clausula illa « Volumus autem ut si alias Christifidelibus dictam Ecclesiam qualibet anni die visitantibus, aliqua alia Indulgentia perpetua vel ad tempus nondum elapsam duratura concessa fuerit, praesentes litterae nullae sint » Cum alias autem pro ejusdem Clausulae explicatione supplicatum fuerit, Sac. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita declaravit « Ea nullatenus comprehendendi Altaria Privilegiata pro Defunctis, neque Indulgentias aut certo personarum generi concessas, ut Confraternitatibus, Regularibus et Capitulo, aut certum pium opus in ipsa Ecclesia peragentibus ut Litanias, aliasque hujusmodi recitantibus, ac iis qui Christiana Doctrina erudiuntur vel alios erudiunt, et qui Sanctissimae Eucharistiae Sacramenti Expositioni cum Oratione quadraginta horarum intersunt, neque Stationum Urbis, et septem Altarium Indulgentias ad instar septem Altarium Basilicae Vaticanae concessas, neque demum, quae pro unica vice conceduntur. Caeterum si alia Indulgentia sive Plenaria sive non Plenaria in perpetuum vel ad tempus tum ab eodem, tum ab alio Romano Pontifice generaliter Christifidelibus Ecclesiam vel aliquod ejus Altare, seu Cappellam visitantibus eodem anni die vel diverso concessa fuerit, de qua non fiat in Litteris Apostolicis mentio, has litteras ob dictam Clausulam esse prorsus irritas ac nullas » ut expresse habetur in Decreto ab eadem Sacra Congregatione desuper edito die 23 Junii 1676. Postea tamen

eidem Sac. Congregationi delatum fuit non paucos esse, qui praedictum Decretum non recte intelligentes sibi suadeant, quod si in aliqua Ecclesia jam concessae reperiantur Indulgentiae, quae pro Feriis sextis mensis Martii dari solent et postea in eadem Ecclesia alia Indulgentia concedatur cum appositione in Brevi supramemoratae Clausulae « Volumus autem etc. » Indulgentia quae postremo loco data est, valida sit. Quapropter ut omnis in posterum erroris occasio auferatur, Eadem Sacra Congregatio habita die 18 Aprilis 1716 declaravit « Indulgentiam ultimo loco concessam ob saepedictam Clausulam - Volumus autem - Litteris Apostolicis insertam esse nullam ». Datum die XI Septem. 1716. Lud. Card. Picus Praef. Raphael Cosmus de Hieronymis Secr. Loco ✠ Sigilli. » Cum vero ex frequenti concessione Indulgentiarum pro ipsis Feriis sextis Martii, seu Quadragesimae frequens pariter sequatur nullitas reliquorum Brevium, quae de stylo cum restrictivis postea expediuntur: idcirco eadem Sacra Congregatio re maturius perpensa ad tollendas quascumque dubietates ac Brevium nullitates, quibus Christifideles quandoque decipi possunt, die 9 Februarii 1745 censuit, hujusmodi Indulgentias Feriarum sextarum mensis Martii seu Quadragesimae excipiendas esse, ita ut quaslibet impedire nequeant, ac propterea praefato Elencho Indulgentiarum exceptarum die 23 Junii 1676 ab eadem Sac. Congregatione edito addendas esse. De quibus facta per me infrascriptum Secretarium die 13 ejusdem mensis Sanctissimo Domino relatione, Sanctitas Sua votum Sac. Congregationis approbando benigne annuit.

C. CARD. DE HIERONYMIS PRAEF.

A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

CXXXVI.

ROMANA

Cum ab Ecclesia S. Luciae Archiconfraternitatis Confalonis de Urbe offerentibus Eleemosinas pro Missis celebrandis ad Altare in eadem privilegium distribuerentur schaedulae tenoris